Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 329
Quelle:
Copyright:

Nihil horum *Leyſerus*, cujus Prologus: *Initium mundi* &c. a noſtro Exemplo abeſt. Initium Operis nobis:

Primo facta die duo. celum. terra. leguntur.
Fit firmamenti ſpera ſequente die &c.

E. L. *Exodi fol.* 28. Praecepta Decalogi adſcribo:

Sperne deos. fugito periuria. ſabbata ſerua.
Sit tibi patris honor. ſit tibi matris amor.
Non ſis occiſor. mechus. fur. teſtis iniquus.
Vicinique thorum. resque caueto ſuas.

Usque ad L. *Judicum* initia noſtra cum *Trithemio* conveniunt. Verum hic Diſticha 5. ab illius Exemplo abfuere, quae nobis incipiunt:

Poſt ioſue de iudicibus narratio fiat.
A quibus auxilium ſumpſit hebrea tribus &c.

Idem accidit in LL. *Regum*, 5. Diſtichis rurſus ejus initium praeeuntibus. Ita:

Poſt librum de iudicibus ſacra lectio tractans.
De regum titulis nobile ponit opus &c.

Alio deinceps ordine nobis filum tenditur, quam *Trithemio;* Succedunt enim *Oracula Prophetarum*, *Hiſtoria Suſannae*, *Eſther*, *Macchabaei* et *Hiſtoria Evangelica*. Atque hic eſt, quod moneam, lapſum fuiſſe *Phil. Jac. Lambacherum*, dum P. I. *Biblioth. antiq. Civicae Vindob.* p. 63. Carmen elegans in laudem *B. Virg. Mariae*, quod e Cod. *Petri de Riga* ejus Bibliothecae memorat, in nullo *ſeptem* (dicendum erat decem) *Codd. Bibliothecae Caeſ.* extare ait, cum tamen vel in *primo*, quem hic recenſeo, mox ſub initium *Hiſtoriae Evangelicae fol.* 104. integrum legatur. Itaque emendanda etiam, quae hoc tranſcripſit, *Bibliotheca Fabric. med. lat.* L. XV. edit. *Manſ.* p. 278. *Hiſtoria* porro *Evangelica* nobis abrumpitur *fol.* 114. in hoc diſticho:

Hac prece dona petis ſeptem uerbisque beatis
Septem predictis conſona queque uides.